



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. IV. Quæ causa substantiam producat & accidentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

§. IV.

Quæ causa substantiam producat & accidentia?

Quæstio hæc potissimum agitur inter Peripateticos, qui passim admittunt formas & accidentia, quibus suppositis probabilius videtur 1. Accidentia sola non posse producere substantiam, quia non continent hujus perfectionem. 2. Quod nihilominus velut causa instrumentalis unâ cum substantia immediatè influant in productionem substantiæ; tum quia illorum præsentia semper requiritur, tum quia alias substantia non esset passio sufficienter applicata, ut patet in sole per radios ignem in terris producente. 3. Quod accidentia substantiæ intrinseca, uti calor igni, producantur ab ipsa substantia, à qua emanant veluti proprietates, neque enim apparet causa alia ejusdem creata. 4. Accidens potest producere accidens, uti calor in aqua calorem in manu. 5. Probabiliter potest etiam accidens ad extra provenire à substantia simul & accidente ad intra, uti calor in cubiculo ab igne & calore igni intrinseco; quia in utroque est fecunditas, virtus & applicatio.

Rem longè aliter explicant Atomistæ, ut patebit Contemp. seq. in quorum principiis nulla forma nec substantialis, nec accidentalis, nec aliud producit ad extra, nisi motus, & quidem tantum in passio immediatè applicato: hinc Sol non agit immediatè in terris, sed tantum mediantibus radiis hucusque propulsis: ignis non calefacit cubiculum, nisi per emissâ corpuscula ignea aëri permixta. Et certè, uti ajunt, si experientiam consulamus, non constat nobis, nos aliud ad extra producere, nisi impulsum & motum, ad quem referuntur halitus & effluvia; idem videmus fieri in aliis, de quibus certò constat; idem de Angelis docent Theologi. Inde colligunt Atomistæ, idem evenire in aliis effectibus magis occultis, etsi modus subtilior, quo illud accidit, non ita pateat oculis; unde toti sunt in explicando hoc modo, neglectis quæstionibus aliis, quas putant esse de non supponente.

At verò videtur dari posse aliquod medium, quo partes oppositæ conciliantur: ex eo quod per propriam experientiam non constat, nos aliquid producere ad extra præter motum, inferunt Atomistæ, idem evenire in aliis corporibus; ex eo igitur, quod constat per experientiam, nos ad intra producere aliquid à motu distinctum, inferre poterunt Peripatetici, hoc quoque alias substantias posse, tanquam proprietatum suarum radices. Habebit ergo ignis suum calorem, rosa suum odorem, quamvis non propagetur nisi per atomorum profluvia: atque hoc modo plerosque effectus explicabis; quanquam supersint aliqui, in quibus hæc etiam explicatio suas habet difficultates.

CAPUT III.

De Causa materiali, formali & finali.

IN his sunt 1. materia & forma veluti causæ intrinsece propriè dictæ, quia, uti explicatum est, sunt id, unde per se aliquid fit. Earum causalitas in actu primo est ipsa earum entitas apta ad hoc, ut mediante unione seipsas communicent toti; unde earum causalitas in actu 2. est unio ipsa, per quam resultat

H

torum